Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3333

Quelle:
Copyright:



unus nominaretur, qui ſuffragatores creando novo Pontifici legerent. In adſignando *Orationis* praeſentis loco lapſus videtur Librarius; *Moguntiam* enim pro *Norimberga* ſcribere debebat, quo reapſe eodem *Aen. Silvio* teſte L. 1. *cit. Thomas* cum aliis ad *Germaniae* Principes ablegatus fuit. Orationem ipſam praegnantem bonae frugis ineditam putem. Incipit illa: *Explicatur, que nobis a ſancta Sinodo iniuncta ſunt, a uerbo diui apoſtoli ſumemus exordium, quod in epiſtola ad Epb. IIII. c. ſcriptum eſt, quod tempore noſtri ingreſſus in officio dominice currentis* (XIX. poſt pentec.) *legebatur: Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo ſuo, quoniam ſumus inuicem membra* &c. agitque de ſuprema poteſtate Conciliorum generalium, de injuſta diſſolutione Synodi *Baſileenſis*, de recte lata in *Eugenium* Papam ſententia. Inter alia: *Conſumebant antea ut plurimum, qui beneficia eccleſiaſtica habituri erant, magnam partem uite in litigijs et per diſcurſus in longinquam regionem ſtudia et eccleſias ſuas dimittere cogebantur, corpora propria innumeris fatigationibus exponebant, pecunias et patrimonia ſua in his conſumebant litigijs, animeque multorum varijs laqueis irretitae erant per iniuſtas aſſecutiones beneficiorum et ita in his litigijs implicabantur eccleſiaſticorum animi, ut plerumque ſue ſaluti et aliorum intendere negligerent. Sed et per exactiones, que pretextu vacanciarum fiebant, eccleſie orbis, Regna, provincie admodum depauperabantur, facultates eccleſiarum et poſſeſſiones impugnabantur et alienabantur, regnabatque nimium ambitio in aſſecucionibus epiſcopatuum et magnarum dignitatum, vnde animarum ſaluti et bono regimini eccleſiarum innumera detrimenta et preiudicia ſequebantur. Que quidem omnia et aliorum abuſuum fere inexplicabilis multitudo ceſſabunt. Eritque regimen romane curie et aliarum eccleſiarum feliciſſimum. Sedes apoſtolica in ſumma veneratione habebitur, ac virtutis et ſanctitatis exemplaria in uniuerſum clerum ac populum diffundet* &c. Finit: *vt in veritate et iuſtitia coniuncti iugiter adhereant ſuo capiti chriſto, qui eſt eterna veritas et cum patre et filio* (Spiritu ſancto?) *vnus deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.* Succeſſum hujus legationis narrant *Aeneas Silvius l. cit.* et *Aug. Patricius* in *Actis* T. IX. *Coll. Concil. Harduini* p. 1175. pro ſuo quivis utique ſtudio.

III. *fol.* 66. absque titulo: *Johannis de Rokezana* unius e *Bohemorum* ad Synodum *Baſil.* legatis *Oratio* habita an. 1433. 16. *Jan.* Incipit: *In nomine ejus feliciter Amen Ex cujus potentia conſtat totius mundi ſenſibilis confecta armonia* &c. Haereſis invidia a *Bohemis* removetur et captatur Concilii benevolentia. Finit: *ab origine mundi occiſum, in ligno maledictum Quem decet laus et honor et imperium cum patre et ſpiritu paraclito in ſecula ſeculorum Amen.* Extat impreſſa in *Manſii ſupplem. Concil.* T. IV. *col.* 436.

No-